

namque errorum everfor, Dominum Salvatorem. **A** Tertio, quia corde credidit, ad justitiam; ore confessa est, ad salutem: & opere implevit, ea cum quibus hæreticorum placita non possunt subsistere, sed omnia profusis concidit & falsitatis arguuntur. Cæterum, quia de singulis omnino hæresibus id ostendere, neque præsentis est instituti, neque hujus loci (in immensum enim opus excresceret, cum jam olim Augustino anterior Philaster Brixianus Episcopus centum viginti octo hæreses computarit quibus, ut stultorum infinitus est numerus, infinitæ propemodum accesserunt:) Age, breviter ac strictim præcipua quædam hæresum capita percurramus.

Lirin.
c. 34.

Simon Magus auctorem malorum, id est seelærum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum. At **MARIA** Sanctum est (inquit) nomen ejus: & quod odio sint Deo impius & impietas ejus, postea prosequens: *Dispersi (ait) superbus mente cordis sui: Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.*

Idem Simon docebat detestandum turpitudinem indifferentem utendi scemini. Virgo Virginitum: *Virum (ait) non cognosci*, id est cognoscere non possum. Igitur non quivis ea poterat indifferenter uti. Adde quod præceptum, *Non mechaberis*, probè tenuerit: quod Christo uxorum dimissionem ac Polygamiam Judæis utitatem interdicens, & serid affirmanti, quod *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, & jam mechatus est eam in corde suo*, fidem adhibuerit.

Dicebat etiam Simon ille, non futuram carnis resurrectionem: sed Deipara Christum credidit *regnaturum in æternum, & Regni ejus non futurum finem*; quod sine resurrectione fieri nequit. Credit præterea, quod oporteret eum *ire Jerusalem, & multa pati a senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertio die resurgere*. Sed neque necire potuit, quod *surgens mane prima sabbathi apparuit primo Mariæ magdalene*; quodque *multa corpora Sanctorum qui dormierant, cum eo surrexerunt, & venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Cùm ergo hæc credidit, negantium carnis resurrectionem dogma contutavit.

Mentiebatur præterea se esse Christum. At ancilla Domini, Christum ex seipsa de Spiritu sancto nasciturum, futurumque nomen ejus Jesum, incunctanter tenuit: unde & ab Elizabeth prophético spiritu edocta meruit audire, *Beata que credidisti, quoniam perficietur ea que dicta sunt tibi à Domino*. Credidit insuper quod *responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini*: Credidit denique, tum illi oraculo, tum sancto tenis desiderio satisfactum, quando iste justus & timoratus accepit puerum **JESUM** in ulnas suas, & **E** *benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salvatorem tuum.*

Menander & Saturninus mundum asserabant non à **DEO**, sed ab Angelis factum. Virgo stirpis Davidicæ, & scripturæ credidit dicenti, *In principio creavit Deus calum & terram; & multitudinem militiæ cælestis laudasse **DEUM**, suum utique creatorem, & dixisse Gloria in altissimis Deo, rerum scilicet omnium creatori & gubernatori, referentibus pastoribus intellexit.*

MARIA, inquit Evangelista Lucas, *conserva-*

Sylv. Oratones Theologicae.

bat omnia verba hæc, conferens in corde suo; Audivit præterea & auditum credidit, post quadraginta à jejunio exactos dies accessisse Angelos & ministrasse Christo. Habuit ergo illos non ut mundi creatores, sed ut creatoris mundi ministros.

Basilides à Judæis non credebatur Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem. At *juxta crucem **JESU** stabant mater ejus & soror matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalena; ibique erant, quando non Simon, sed **JESUS CHRISTUS** dixit, Ecce filius tuus: quando dixit, **Sirio**: quando dixit, *Consummatum est: quando, inclinato capite emisit spiritum.**

Matth.
27.

B Sabellius inexplanabili errore confusus, unitatem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu sancto inseparabilem sentiens, quod æqualitati tribuere debuit, singularitati dedit: & cum veram Trinitatem intelligere non valeret, unam eandemque credidit sub triplici appellatione personam Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Photinus mentis cæcitate deceptus dixit Deum singulum esse & solitariam. Trinitatis plenitudinem negavit, neque ullam Dei Verbi aut Spiritus sancti putavit esse personam. Virgo autem prudentissima, cum non Patrem sed Filium Patris ex se credidit nasciturum; cum fide certa tenuit se non Spiritum Sanctum, sed de Spiritu sancto concepturam; aliam esse personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti non dubitavit asserendum.

Maecdonius à lumine veritatis alienus divinitatem sancti Spiritus non recepit: Virgo Davidica, parituran se Deum & hominem, Spiritu sancto in eam superveniente, credidit; quod opus eum vim omnem creatam nuperet, non creaturæ sed creatoritribuendum nemo ambigit.

Gerdoniani Deum legis ac Prophetarum non esse Patrem Christi dogmatizabant: Sancta Deipara Christo loquenti ac de Deo legis ac prophetarum dicenti, *Nesciebatis quia in his que Patris mei sunt operiet me esse?* assensum præbuit.

Severiani vinum non habebant, eò quod fabulosa vanitate, de Sathano & terra germinasse assererent vitem. At Virgo beata, vini convivio præsentiam suam exhibuit, pro vino filium suum interpellavit, ipsique vinum divina sua virtute largituro ut obediretur, imperavit.

Tatiani, qui & Encratitæ sunt appellati, nuptias damnant, atque omninò pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: Virgo Sanctissima honorabile noscens connubium, corporali sua præsentia nuptias decoravit. Illi non recipiunt in suorum numerum conjugio utentem, sive marem sive fæminam; sed *Maria intravit domum Zachariæ, & salutavit Elizabeth, ibique mansit cum illa quasi mensibus tribus.*

Luca 13

Arius Dei Filium minorem Patre, & creaturam esse delirans, & ab eodem inter omnia creatum putans Spiritum sanctum, magna impietate se perdidit. Virgo reginæ stirpis unigenitum naturalemque Dei Filium se credidit parituram, & hoc virtute creaturam omnem superexcedente. Intellexit, & credidit quod non creatura quædam, sed creator Spiritus sanctus superveniret in eam cujus virtute conciperet ac pareret eum qui vocaretur Altissimi filius: longè aliter quam vel Noe,